

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Praefatio ad benevolum lectorem.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



PRÆFATIO AD BENEVOLOM LECTOREM.



Uælibet sententia ἡγεῖται, utut succincta, plena est mysteriis; Imò, ut Proverbium Hebræorum habet; *In lege non una literula, à qua magni non suspensi sint montes.* Hinc exclamat ex Patribus Tertullianus: *Adoro plenitudinem Scripturæ.* Ita ut intoleranda sit blasphemiam, asserere in Scriptura vel unum inveniri verbum otiosum. Lutheri est dictum; *Unicus apiculus veritatis pluris valet, quàm cælum & terra.* Imò ipse Christus Salvator noster Matth. 5. 18. *Amen dico vobis, usquedum præterierit cælum & terra, fota unum aut unus apex nequaquam præterierit ex Lege, usquedum omnia facta fuerint. Et syllaba Legis Deo magis cura, quàm stella cæli,* dictum est Hebræorum.

Legis voce nos totam intelligimus Scripturam, in qua sæpe occurrunt verba, quæ primo intuitu valde videntur sicca & jejuna, probè autem examinata & considerata, sua pondera habent, alunt & nutriunt. Paulus inquit 1. Tim. 5: 23. *Μηκέτι ὑδροπότει, ἀλλ' ὄνω ὀλίγω χρῶ δὲ τὸν στήθεόν σου, καὶ τὰς πυκνάς σου ἀδενείας.* *Ne amplius esto abstemius, sed vino pauculo utere, propter stomachum tuum & crebras tuas infirmitates.* Hiscè divus Paulus suum Timotheum jubet curare valetudinem, diætam præscribens. Subindicat, quo potu abstinere debeat, in hiscè: *Μηκέτι ὑδροπόσει:* quo potu & quomodo uti debeat, ἀλλ' ὄνω ὀλίγω χρῶ, vinum præscribit, non multum, sed modicum: rationem etiam addit, *δὲ τὸν στήθεόν σου, καὶ τὰς πυκνάς σου ἀδενείας:* non propter luxum, sed propter stomachum, ejusque debilitatem, infirmitates permultas attrahentem, easque crebras. Chrysostomus, utut hæc verba Paulina satis arida videantur, tamen multas hinc elicit observationes minimè negligendas:

- Δ. 1. est, Piiis hominibus magis curæ esse officium vocationis, quàm verò valetudinem corporis.
- Δ. 2. est, Abstinentiam nimiam Deo non placere, quamvis bono animo suscepta sit. Deum prudentiam in suo requirere cultu, ne nimio labore fracti medicorum postea opem implorare cogamur.
- Δ. 3. est, Pios homines, homines Deum timentes in usu creaturarum cautos esse, summo iis uti moderamine.
- Δ. 4. est, Viros pios, viros Dei, timentes Deum, etiam morbis, & aliis corporis necessitatibus & infirmitatibus obnoxios esse, iisque crebrò affligi.

Δ. 5. est,

P R Æ F A T I O,

- Δ. 5. est, Non deserendam esse stationem, ob infirmitates etiam crebras: Timotheum enim, utut subjectum huiusmodi infirmitatibus, prædicationem tamen Evangelii non neglexisse.
- Δ. 6. est, Sæpe etiam optimos negligere corporis sanitatem: Sic fecisse Timotheum, secus opus non fuisse hac exhortatione Apostolica.
- Δ. 7. est, Etsi infirmitates à Deo immittantur, etiam maximè piis, tamen licere eis opponere remedia.
- Δ. 8. est, Aliis aliorum infirmitates debere esse curæ, imprimis iis, qui sint ejusdem officii & professionis.
- Δ. 9. est, Ad sanitatem conservandam, bonam diætam optimum esse remedium.
- Δ. 10. est, Vini usum etiam in ordine Ecclesiastico constitutum esse concessum.
- Δ. 11. est, Usus vini moderatum requiri, necessitati inservientem: Usus retinendum, ab usum vitandum.
- Δ. 12. est, Neminem posse vini ab usum excusare, prætextu infirmi stomachi: vinum multum stomachum debilitare: moderatum, eundem roborare.

En! verba sacræ Scripturæ, non nuda verba sunt, sed Spiritus sancti verba, inspirata à Deo, & utilia ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia: etiam illa, quæ aliàs, quod ad sensum attinet, primo intuitu videntur satis simplicia, probè tamen considerata, nervosiora tandem existunt.

Quod de verbis hisce Paulinis asseruit Chrysostomus, idem nos de tota Pauli Epistola ad Philemonem affirmare possumus: utut illa sit brevissima, frigidior etiam videatur, & consarcinata, tamen nullatenus aspernanda: utpote quæ solida tractat documenta, & tenorem retinet Spiritus sancti: plurima etiam habet ad nostri ædificationem facientia. Si brevitatem contemnenda, contemnatur Obadias, Nahum, Sophonias, & alii XII. Prophetarum, in quibus tam mira, tam grandia sunt, quæ afferuntur, ut nescias, utrum brevitatem sermonum in illis admirari debeas, an magnitudinem rerum.

Quòd si intelligerent, qui Epistolam ad Philemonem repudiant, nunquam brevitatem despicerent, quæ *pro laciniosis Legis oneribus Evangelico decore conscripta est*: Sic olim Hieronymus.

Equidem D. Apostolus Paulus scripsit Epistolas prolixiores, interim etiam hæc ad Philemonem negligenda non est: utpote quæ revera continet doctrinas, quæ satis prolixè tractari possunt: ut videre est in hocce nostro Commentario in hanc Epistolam. Epistolæ ad totas Ecclesias scriptæ: qualis ad Romanos, ad Corinthios, Galatas, Ephesios, graves sunt: sed tamen nihil detrahunt Epistolis ad Timotheum, Titum, & nostrum Philemonem exaratis: brevitatem auctoritatem & gravitatem minimè minuit: & qui hoc faciunt, non satis animadvertunt, quid hæc Epistola contineat, quemque nobis usum hodie præstet. Equidem illa pro privato ad privatum scripta est, interea tamen in eà D. Paulus totius Ecclesiæ rationem habuisse videtur, dum tam egregium & singulare charitatis & modestiæ suæ exemplum nobis omnibus imitandum præbet; quia tantus pro tam humili vilique servo tam suppliciter apud amicum sese

demittit,

P R Æ F A T I O.

demittit, orat & intercedit. Ergo ex hac Epistola, quod sit omnium Christianorum in sublevandis fratribus, etiam humillimæ conditionis, officium, docemur. Præterea etiam, quod sit jus Pastorum in gregem: quis eorundem Pastorum animus in quemlibet Christi servum, & quàm fervens affectus; & quæ hîc similia sunt. Habet hæc Epistola, quanquam illa sit omnium brevissima, ut cæteræ Epistolæ Pauli, tria capita: nimirum

I. Proœmium.

II. Argumentum.

III. Epilogum.

I. Proœmium est Personale, habet personam, quæ scripsit, *Paulum*: Personam, ad quam scripsit, *Philemonem*: Personam, pro qua scripsit, *Onesimum*.

1. *Paulus*, qui hanc scripsit Epistolam, omittit hîc & Ministerii & dignitatis suæ mentionem, quum se neque servum, neque Apostolum nominet Jesu Christi: non quòd munus suum tunc desidiosè abjecerit, vel fastidiosè recusaverit, ob imminentes Evangelio calamitates; sed quòd nihil iis titulis sibi apud Philemonem opus esse intelligeret, cui notus & charus erat. Itaque ne intempestivè aut ambitiosè suos titulos jactare videretur, commodè eos hoc loco prætermittit. Adjunxit sibi etiam Timotheum, tum honoris ergo, ne tam fidelem Christi Servum spernere, aut flocci facere videretur; tum, ut preces Timothei cum istis conjunctæ intelligantur, majusque præterea apud offensum Dominum pro servo pondus habeant.

2. Scripta autem est hæc Epistola ad *Philemonem*, quem & *dilectum* & *cooperarium* Paulus vocat: *dilectum* quidem, ut suum erga eum amorem imprimis testetur: *cooperarium* etiam honoris causâ, ut à se coli & diligi intelligat Philemon. Adjungit autem *Apphiam* & *Archippum*, tum honoris, tum etiam facilioris impetrationis gratiâ: totius familiæ Philemonis etiam mentionem facit, quò magis suam de eo & piis, quæ ad Deum pertinent, curam & studium testetur, atque ita benevolum & amicum magis eum sibi reddat.

3. Scripta est pro *Onesimo*, qui erat servus fugitivus, falsus & fraudulentus; Ita ut nomen non responderit rei, &c.

II. *Argumentum* Epistolæ, seu summa argumenti, est petitio pro *Onesimo*. Paulus petit à Philemone, ut *Onesimo* servo culpam tum fugæ, tum furti ab eo commissi condonet & remittat; quod ut Paulus impetret, preces etiam admiscet, & argumenta apud Christianum valida.

Quod ad preces, quibus instat pro ipso, reperies eas *vers. 10. 18. 20*. Argumenta varia sunt, omnia tamen ab honesto seu officio & decoro hominis Christiani deducta: Illa continentur imprimis *vers. 7. 11. 16. 19, &c.*

Argumenta à Persona Philemonis desumpta docent, quòd ejus officium sit condonare.

Argumenta à Persona Pauli sunt perplura. 1. Petit, non mandat pro suo jure. 2. Paulus senex petit. 3. Paulus vincetus petit: 4. & quidem pro Christo.

Argumenta ab Onesimi Persona, Apostolus quoque addit desumpta ab ipsius regeneratione, ministerio Pauli vinceti, id est, ipsius prædicatione promo-

PRÆFATIO.

ta: ab ipsius utilitate in futurum expectanda: juxta nominis etymologiam, non obscuram; Onesimus erit imposterus, id est, utilis, diluet maculam contractam. Ergo recipies ipsum, si me amas, si me socium habes, utque ipsum eò melius flectere queat, & Philemonis pietatem & charitatem laudat, Deoque pro illis donis eximiis gratias agit, *vers. 4. 5.* & seqq. fusiùs etiam exponit, quanta & quàm celebris fuerit ipsius & fides & charitas, narrans earum fructus uberimos, homine pio dignissimos: est enim charitas communicatio ex fide proficiscens, quæ est efficax, effectus suos producit, operèque ipso demonstratur, non tantum ore vel corde tecta continetur, *1. Joh. 3: 18. Jac. 2: 26. 1. Joh. 4: 20.* Apparet inter alia ex eo, quòd ipsum viscera sua appellat, non solum fratrem aut filium; ut sic dilectionem satis erga ipsum demonstret, ut videre est *vers. 12.* Vult, ut etiam Philemon ipsum talem in futurum agnoscat, non *δέλον*, sed *ἀδέλον ἀγαθόν*, versibus seqq. Hoc adiecisse videtur Paulus non modò ex communi charitatis lege, quæ inter Christianos viget, *Rom. 12: 10.* Sed multò magis propter præsentem hypothésin, & personæ Philemonis circumstantiam, qui iratior in servum meritò præsumi potuit; dum iracundiam uno verbo tollendam docet, quum servum dilectum esse vult. Tandem concludit suam petitionem, magna amoris significatione, *vers. 17.* Amicorum est omnia habere communia: ergo Onesimum, quem pro meo agnosco, etiam pro tuo agnoscere, & admittere debes. In hisce sanè ardentissimi affectûs notio inest, quem etiam amplificat *vers. 18.* in quo spondet pro noxa & damno Philemoni per ipsum dato, imò non spondet tantum, sed subscribit propria manu, dat chirographum, quòd studium pro Onesimo majus appareat; atque sic testimonium maximum sui amoris erga Onesimum ostendit.

III. Epilogus, Epistolæ hujus ultima pars, salutationes tum suas, tum amicorum continet. Salutationis autem voce non tantum amoris mutuæque charitatis significatio atque attestatio denotatur, quemadmodum vulgò inter homines: Sed multò magis sollicita quædam cura de eo, & pium faustumque votum erga illum. Optat & precatur Paulus, ut gratia Christi, quæ nobis à Christo allata est, sit maneatque cum omnibus: sicque ostendit Paulus, se non unius Philemonis studiosum esse, sed et eorum, quorum meminit, & totius Ecclesiæ, quæ illic est, cui gratiam Christi adesse perpetuò optat. Quòd autem optat & precatur, ostendit quàm sit necessaria ea res; est enim tanta, ut in ea salutis nostræ omniumque fidelium cardo versetur.

Amen apponi. ur; vox, quæ veram votorum communicationem denotat, &c.

Hæc sunt capita præcipua hujus Epistolæ D. Pauli ad Philemonem scriptæ, hoc in Commentario tractata.

Modum tractationis prolixus non describam, cum sit valde facilis & perspicuus:

I. Explicatorius.

II. Applicatorius.

I. Modus tractationis explicatorius consistit, ut videtis, in interpretatione & sectione, seu partitione textûs.

PRÆFATIO.

A. Interpretatio habet

1. Analyſin, Grammaticam, Logicam & Rhetoricam, ubi neceſſe eſt.
2. Senſum verborum, qui manat ex examine ſcopi & circumſtantiis, ex collatione cum aliis ſcripturis, nec non convenientia cum Analogia fidei.

B. Sectio ſeu partitio textûs requirit

1. Separationem verborum,
2. Collectionem ſenſûs,
3. Explicationem particularem, tum } ſubjecti
prædicati, ſi adſit
obſcuritas; ſin minûs, ſi omnia clara,

Δ. Doctrina ejuſque confirmatio locum occupat, quæ fit plerumque duobus modis,

1. Per Scripturam ipſam, ſeu τὸ ὄν; hîc allegantur loca S. Scripturæ, prægnantia tantum & ſelecta, non multa, non proponuntur nudè, ſed cum allegatione & deductione.
2. Per rationes, ſeu τὸ δὶόν, quò auditor poſſit eò firmiùs in notitiam doctrinalem introduci, & ejuſ etiam fundamenta ſibi comparare; Sæpè occurrunt

1. Objectiones, quæ reſponſiones ſuas habent,
2. quæſtiones, quæ non ſine ſolutionibus dimittuntur.

II. *Modus tractationis applicatorius* conſiſtit in doctrinæ ſeu Corollariorum deductorum, & propoſitorum applicatione ad Auditores. Hîc videbis

1. Applicationum ſubſtantiam.
2. Earum ἐργασίαν.

I. Subſtantia applicationum indicatur 2. *Tim.* 3: 16. Coll. cum 2. *Tim.* 4: 2. *Rom.* 15: 4.

1. Confutatio.
2. Redargutio.
3. Exhortatio.
4. Conſolatio.

II. Ἐργασία, ſeu elaboratio Caputum uſuum, talis

α. Ἐργασία tendens ad elaborationem Confutationis ſeu doctrinalis Corollarii indicat

- Evidentiam deductionis ad confutandos errores & ad confirmandam veritatem,
- Rationes ad urgendam confutationem errorum & Confirmationem veritatis.
- Reſponſiones ad objectiones & quæſtiones.

β. Ἐργασία tendens ad redargutionem, ſeu reprehensionem peccatorum, hîc

- Deductio ſeu illatio ex doctrina indicatur.
- Contrariæ opiniones explanantur.
- Rationes etiam, ubi neceſſe, ſubjiciuntur.

α. Objectionibus hominum, ſeu potiùs contradictionibus, reſpondetur.

β. Con-

P R Æ F A T I O .

β. Conciliantur loca apparenter contradictoria.

γ. Scrupuli etiam, qui in mente occultantur, remouentur.

Hujus *ἔργασίας* plenior sæpe instituitur tractatio: ubi necessitas urget.

κ. Peccati sceleritas & gravitas horribilis ob oculos ponitur ad convictionem;

ρ. Describitur etiam sæpe in particulari, non sine ictu & fulmine, quò penetrantior fiat.

σ. Manifestatur etiam studium seu oblectatio peccati, non quidem nominatenus, sed per signa corruptionem indicantia, ut morbus symptomatis dignoscitur.

τ. Renovatur sæpe reprehensio cum additione rationum, quæ ut plurimum desumuntur à iudiciorum Dei tremendorum comminatione.

π. Respondetur secretis objectionibus, quas homines intra se ipsos fovent.

ι. Concluditur subministratio mediolorum & adjumentorum ad vitanda peccata reprehensa.

κ. *ἔργασια* tendens ad elaborationem exhortationis respectu & officiorum hominis interni & externi, &

{ cogitata,
quoad verba,
{ operã.

a. Virtus seu officium commendatur.

β. Defectus hominum in ejus praxi notantur.

γ. Particularia, quæ ad convictionem pertinent, enumerantur.

δ. Homines quoad { Sermones &
 { Actiones graphicè depinguntur.

ε. Exhortatio ipsa non semel renovatur,

a. Additis rationibus ad inflammandos animos.

b. Rhetoricis phrasibus absque affectatione tamen.

c. Respondetur etiam secretis objectionibus in cordibus hominum.

ζ. Rationes etiam adduntur, quibus homines perducì possunt ad virtutum & officiorum exercitium & praxin.

η. Examina persæpe instituuntur: ubi signa & *τεκμήρια* ad rem pertinentia reperies.

θ. *ἔργασια* tendens ad consolationem eorum, qui sub afflictionibus, desertionibus, tentationibus versantur.

Hic laboramus, ut reducamus incoerentis animum ad piam tranquillitatem.

a. Remedia generalia constituuntur

1. in Verbo.

2. in Sacramentis.

3. in devotione precum.

b. Remedia specialia, pro re nata & prout status afflictì & tentati requirit, applicantur.

Fundamenta consolationum Theologicarum etiam reperies ut plurimum:

Electiõnem ad vitam æternam,

***** 3

Infini-

PRÆFATIO.

Infinitam Dei misericordiam,
 Fœderis gratiæ Oeconomiam,
 Christi Jesu Filii Dei sanguinem,
 Ipsius in cœlis intercessionem,
 Dei Patris constantem dilectionem,
 Inhabitantis Spiritus sancti Communionem,
 Promissionum divinarum infallibilitatem,
 Et hujusmodi alia, &c.

Hic casus conscientiæ nonnunquam proponuntur, qui afflictos, desertos, tentatos exercent, etiam enodantur ex sacra Scriptura & praxi ipsa.

α. Status afflictæ depingitur.

β. Gratiæ necessitas monstratur.

γ. Fluctuantes, & qui certitudine salutis non fruuntur, eriguntur, & diriguntur, &c.

Hæc est *ἔργασια* usuum, quam, etsi non in omnibus, in aliquibus tamen reperies Concionibus.

Nihil hic addo de partibus externis, Exordio & Conclusionem.

Exordia equidem nunquam omissa à Proponente; non tamen semper fuerunt annotata, siquidem illa Proponens plerumque demum post tractationem concipere solet.

Conclusiones, ut plurimum, has habent partes;

1. *Ανακεφαλαίωσιν*, seu recapitulationem brevem partium Concionis, quâ in memoriam Auditorum dicta paucis revocatur.

2. Votum patheticum,

3. *Δοξολογίαν*.

Sæpe etiam Conclusio ex abrupto, brevitatis gratiâ, quam Auditores summè affectant, instituitur sola *δοξολογία*.

Sic etiam habebis modum tractationis, tum explicatorium, tum applicatorium. Quòd si aliquem tantum horum laborum fructum sperare possum, otiosus non ero, non segescam, licet sim infirmus & senescam, dabo operam, ut in bonum Ecclesiæ, pro modulo gratiæ à Deo mihi concessæ, prodeant quoque

1. Conciones Dominicales LXXII. habitæ Anno 1647, & seqq. in Templo Magno: in textus diversos de judicio ultimo.
2. Conciones item in Epistolam D. Pauli ad Colossenses. Centuriam quartam jam absolvi, & perveni usque ad 12. versum capituli tertii.
3. Conciones in Prophetam Haggæum: caput primum tractavi, versor in capite secundo, versu 4. Centesima septima est ultima Concio.
4. Conciones in Cap. XIV. Hoseæ: & Cap. IV. Malachiæ.
5. Conciones LXXIV. in Epiphaniam Gratiæ salutiferæ Tit. 2: 11, 12, 13, 14, 15.
6. Conciones Catechetiæ. Latent etiam in Museo miscellanei Sermones non pauci, item pœnitentiales, & Jejunales.
7. Conciones Festales.
8. Imprimis autem Passionales in historiam Passionis D. N. J. C. quam secundum

PRÆFATIO.

cundum omnes Evangelistas in specie tractavi, & ultimò etiam Harmonicum textum.

9. Concinnavi etiam diuturnâ experienciâ Locos communes similitudinum, quarum Usus in Concionibus habendis valde utilis, si dextrè applicentur. Et quæ alia in emolumentum publicum destinata, etsi superstes non sim, tamen abiturians hinc, committam viris fratribus & fidelibus pietate & doctrinâ conspicuis, quorum integritati multùm tribuo, ut hæc, & alia eripiant ex manibus eorum, qui præposterè agere cupiunt, & publici juris faciunt, &c.

Vale, Lector benevole, atque hæc nostra, pro tuo in nos candore, æqui bonique consule,

*Tui studiosissimus, & ad officia pietatis & charitatis,
quoad vixero, paratissimus*

JOHANNES HENRICUS HUMELIUS,
Servus J. C. Pastor Ecclesiæ, quæ col-
ligitur Bernæ Helvetiorum, & ejusdem
Classis Decanus.

